



Reuerendi Patris P. Hieremiæ Drexelii e Societate Iesu Opera omnia

Duobus nunc Voluminibus comprehensa, & libellis ante hac non editis
aucta ; Illvstrata, Indicibvs Moralibus, Locorum S. Scripturæ, Capitalium
Mysteriorum fidei, Rerum, & Concionum quouis anni tempore habendarum
; Congestis Et Compositis Methodo prorsus, alijs Auctoribus inusitata ; Sed
Theologis ...

Drexel, Jeremias

Antverpiæ, 1643

42. Ergo dum vivis vive.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77028](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77028)

Aeternitatis Prodromi Caput I.

45

§. 42. Ergo dum vivis, vive.

Non Genio, non corpori, non voluptati, sed virtuti, sed celo, sed Deo. Vive & age, tam patienter pro Deo, quam faciendo & laborando. Nec enim quamdiu subsistas, & si post modicum tollat te factor tuus. Saluberrimè monet sapientissimus concionatorum: *Quodcumque facere potest manus tua, instanter operare: quia nec opus, nec ratio, nec sapientia, nec scientia erunt apud inferos, quò tu properas. Bonum ergo facientes non deficiamus, (hortatur Apostolus) tempore enim suo metemur non deficientes. Ergo dum tempus habemus, operemur bonum ad omnes.* Cœpisti laborare? laborem cœptum industria urge continuâ: nunquam quiesce, nunquam ne interrompe quidem laborem illum qui cælum potest mereri. Nam vitæ tuæ momentum nullum est, quo non possis lucrari, & cælestem tibi thesaurum augere. Hoc igitur modo sine cessatione labora; veniet tempus quietis, quam labor nullus unquam interrompet. Militia est vita hominis super terram, & sicut dies mercenarii dies ejus. Mercenarius, inquit Gregorius, quod grave pendit ex labore, leve æstimat ex remuneratione. Mercenarius, ne dies ab opere vacuus transeat, sollicitè curat, nam noctem quieti, diem verò labori scit esse destinatum. Tu ergo labora dum dies est, dumque licet laborare; *Venit nox (clamat Veritas) quando nemo potest operari.* Ergo dum operi sol faveret, operare. Est qui reddat labori tuo præmium. Habes operis tui perpetuum & attentissimum inspectorem Deum, qui uti capillos tui capitis habet numeratos, ita & minimas noxas tuas, ita & minima opera tua, quæ ipsius honori facis: ne dubita, cunctos gressus tuos dinumerat. Uno salu, in dō passu unico perge iter totum iter ad aeternitatem. Sed vide ut pedem bene ponas. Talis eris in omne ævum, qualem te in morte gesseris.

§. 43. Si cras, quare non hodie?

Vna est sed ponderosissima catena, quæ nos alligatos tenet AMOR VITÆ, qui ut non est abjiciendus, ita semper minuendus est: ut si quando res exiget, nihil nos detineat, nec impediatur, quo minus parati simus, quod quandoque faciendum est, statim facere. Vita non est imperfecta, si honesta est. Ubicumque desines, si bene desinis, tota est. Hipponensis præsul Augustinus, ad alium sibi familiarissimum Præfulem, in extremis fatiscentem revocabat, cumque æger elatâ manu ad superiores se migraturum significaret, subjecit Augustinus; Eum Ecclesiæ necessarium, vitâ longiore dignum. Ad hæc respondit æger: *Si nunquâ, bene: si autem aliquando, quare non modo.* Mors omnes æquè vocat. Eodem citius tardiusve veniendum est. Hoc scimus: nec de re, sed die querimus. Quid ergo? Non tibi timidissimus omnium videtur & insipientissimus, qui magno ambitu rogat moram mortis? Nonne indignareris illi, qui inter perituros constitutus, beneficii loco peteret, ut ultimus præberet certicem? Hoc ipsum nos facimus. Magno æstimamus, mori tardiùs. In omnes constitutum est capitale supplicium, & quidem constitutione justissimâ. Nam, quod maximum solet esse latium extrema passuris, omnium causa eadem est. Quid jam interest, priores aliis an posteriores è vitâ, tanquam è theatro, exeamus: exeundum est. Si ergo aliquando, quare non modò? Hodie forsân mors parcat? Non effugisti: cras irruet. Peter te gladius, peter lapis, peter febris. Nunquam & nullo loco tutus es. Exeundum est. Si ergo cras, quare non hodie: si aliquando, cur non modò?

§. 44. Cur mors horribilis?

Mors quidem omnium par est, ea tamen per quæ venit, diversa sunt. Aliis inter cenandum expi-

Arat, alterius mors, somno continuatur, aliquis in ipso flagitio extinguitur: hic ferro transfoditur, ille aquis præfocatur, iste in flammis finit: aliqui serpentum mortu exanimantur, aut ruinâ franguntur: aliis per longam nervorum contractionem minutatim extorquetur anima: aliorum vita in medio flore præcinditur, aliorum interrumpuntur principia: alter adolescens decedit, alter senex, alius præter hos infans, cui nihil ampliùs contingit, quàm vitam salutasse. Aliquorum melior, aliquorum pejor dici potest exitus. Sed quantumcunque placida sit & mitis mors; semper tamen aliquid horrois adfert, idque ob eam causam, quia videtur multa nobis bona eripere, & nos ex hac, cui assuevimus, rerum copiâ educere. Hoc sui amor, & permanendi consuetudine se insita voluntas, valde refugit. Naturalis præterea tenebrarum metus est, in quas adductura mors creditur. Hinc multorum ingenii certatum est ad augendam mortis infamiam.

Illud autem mori nos maximè alienat, quod præsentia hæc jam novimus; illa ad quæ transire sumus, nescimus: qualia sint, & horremus ignora. Ideo multâ exercitatione durandus est animus, ne horreat, ad quam transcendendum est, aeternitatem. Aeternitas diu noctuque cogitanda est, sicut qui famis tolerantiâ vult condiscere, quotidie non nihil curat necesse est: sic animus è fluxu hujus temporis in stabile regnum transferendus, ad aeternitatem quasi parandam quotidie seipsum assuefaciat: aeternitatis ostium quotidie salutet, in dō singulis momentis ad illud se stare credat: quidquid operis facit, aeternitati faciat, ut actionum suarum hanc unam unicam habeat formulam: Aeternitati lego, aeternitati scribo, aeternitati pingo, meditor, vigilo, loquor omnia, operor aeternitati. Quisquis triumphos aspirat æternos, pugnare discat aeternitati.

Mors etsi mitis sit, tamen aliquid horrois adfert.

Quid à morte nos alienet?

Aeternitas diu noctuque cogitanda.

§. 45. Inopina, sed formosa mors.

Chremone, uti Palladius Helenopoleos Episcopus testatur, dum sedet, dum opus facit, dum omnia profano agit, moritur: ita sedens, & opus manibus tenens, repertus est, sed mortuus. Omne genus mortis honestare potest virtus.

Philemon vetus Comædiarum scriptor, fabulas cum Menandro in scena dictavit, certavitque cum eo, fortasse impar, certè æmulus. Hic fabulæ partem quam recens fecerat, in scena recitabat. Cumque jam tertio actu, quod genus in comædia fieri amat, jucundiores affectus moveret, imber repente coortus, differri auditorii cœtum & auditionis cœptum coegit. Reliquum autem variis postulantibus sine intermissione, dissequenti dixit se perrecturum. Postridie igitur maximo studio ingens hominum frequentia convenire. Sese quisque ex adversum quàm proximè collocat. Serus adveniens amicis annuit; locum sessui impertit. Extimus quisque excuneatur, quærentur: Farto toto theatro, ingens stipatio. Occipiunt paullatim inter se queri. Qui non affuerant, percontari antè dicta: qui affuerant, recordari audita: cunctisque jam priorum gnaris, sequentia expectare. Interim dies ire, neque Philemon ad dictum venire. Quidam tarditatem poetæ murmurari, plures defendere. Sed ubi diutiùs a quo sedetur, nec Philemon uspiam compareret, missi ex promptioribus qui accirent. Atqui eum in suo sibi lectulo mortuum offerebunt. Commodum ille animâ editâ obriguerat, jacebatque incumbens toro, similis cogitanti. Adhuc manus volumini implexa, adhuc os recto libro impressum. Sed enim anima jam vacuus, libri oblitus, & auditorii securus. Steterat paulisper qui introierant, percussus tam inopinatè rei, tam formosè mortis miraculo. Deinde regressi ad populum renuntiare, Philemonem poetam qui expectaretur, ut in theatro factum argumentum finiret, jam domi veram fabulam consummasse. Enimvero

Mad. Philo. in floridiis militi pag. 199.

Philemonis mors formosa.